Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2055
Quelle:
Copyright:

magis ſtudioſiſſime emendare &c. paene certum fit, elaboratum illud fuiſſe ab Autore intra *Februarium* a. 1111. et *Martium* a. 1112. intra quod videlicet tempus *Paſchalis Henrico* V. Inveſtituram et ceſſit et revocavit. Quis porro Autor ille fuerit, ex *Anonymo Mellic.* c. 115. palam fecit *Pezius ſuprac.* in *Diſſert. Iſag. T. cit.* p. 23. *Placidus* nempe *Coenobii Nonantulani Prior*, id quod confirmat vetuſto Librorum Monaſterii S. *Petri* Catalogo, cui inſcriptus erat *Placidus de Honore Eccleſiae.* In *Hiſtoria Abbatiae S. Silveſtri Nonantulana* a Cl. *Hier. Tiraboſco Mutinae* 1784. italice f. edita *Priorem* ad An. 1112. etiam dum reperio *Johannem*, *Placidum* vero *Monachum* duabus *Chartis* Ann. 1117. et 1123. ſubſcriptum. Tardius igitur *Prioris* munus ei obtigiſſe reor. Quod autem et Epiſcopatum geſſerit, ut viſum *Pezio*, cum hactenus adducta temporum ratio refellit, tum adcuratius expenſa Operis *Capita* 82. et 83. quae doctum illum Virum non niſi obiter inſpexiſſe oportet.

II. *fol.* 58. absque Autoris indicio ſequitur Encomium B. V. *Mariae* numeris ad marginem adpoſitis in XII. diſtinctum Particulas, quae *Proſarum* ſic dictarum formam habent. Initium primae eſt: *Omnium domine tibi perpetua uirgo uirginum maria laudes debemus omnes dicere. in cuius laudem tamen nos non credimus. immo ſcimus nos non ſuffice-re* &c. Finis ultimae: *qui longa peccandi conſuetudine. ineuitabiles nunc usque neceſſitates patimur.* De Morte et Aſſumtione Deiparae ita ſentit Noſter: *Quomodo autem vel quamdiu dormieris. vel ſi adhuc cum dormientibus dormias. vel iam euigilaueris in reſurrectione. nos neque poſſumus. neque audemus negare uel affirmare.* Et: *Aſſumptam te et ſuper angelos exaltatam credimus; ſed ſiue nunc ſis in corpore ſiue extra corpus. deus ſcit. nos neſcimus* &c. Quae *Sequentiarum Godeſcalci Cod.* DCCL. relatarum monent.

III. *fol.* 65. Expoſitio brevis *Capitis* LVIII. *Regulae S. Benedicti* de Regula Novitiis ter praelegenda, hoc initio: *Super Capitulo illo Beati Patris noſtri Benedicti:* nouiter quis ueniens ad conuerſionem. non ei facilis tribuatur ingreſſus. *iuſtius reprehendi uidemur. quoniam in probatione nouiciorum properantiores ſumus* &c. Videtur Pars Apologiae Inſtituti *Benedictini*, ſi conjecturae locus, autore *Ruperto Tuitienſe*, cujus Libros IV. *Super quaedam Capitula Regulae Divi Benedicti Abb.* habemus edit. *Venet.* T. IV. 1751. p. 293. f. in quibus quamvis Noſtra haec non legantur, fieri tamen facile potuit, ut is argumentum hoc pluribus Libris nondum e Mſs. protractis verſaret. Convaleſcit conjectura ex eo, quod ſequitur.

IV. *fol.* 66. absque Inſcriptione Diſſertatio *de Abbatum et Epiſcoporum paſtoralibus Virgis*, quae